MELIUS JUHÁSZ PÉTER CSALÁDJÁRÓL.

»Nos Sigismundus etc. Memoriae commendamus etc. Quod pro parte et in persona honorabilis Georgii Gönczi, pastoris ecclesiae Debreceniensis, exhibitae sunt nobis et praesentatae quaedam litterae Ill^{mi} quondam principis Domini Christofori Báthory de Somlyó etc. domini genitoris nostri desideratissimi piae memoriae, exemptionales etc. Quibus mediantibus idem dominus genitor noster duas vineas honestae mulieris *Elizabethae,* relictae honorabilis quondam *Petri Melii* alias concionatoris ecclesiae Debreceniensis, in promontorio et vicinitatibus comitatuque in ipsis litteris exemptionalibus clarius denotatis, pastinatas, quas dicta scilicet Elizabetha arduis impulsa necessitatibus ipsam pro tunc assidua urgentibus, certa pecuniae summa, annotato Georgio Gönczy jure perennali dedisset et vendidisset, a quarumlibet nonarum, decimarumque pensione, vita eiusdem Elizabethae comite, exemisse et supportasse dignoscebatur tenoris infrascripti etc. Quarum quidem litterarum verbalis continentia sequitur in hunc modum:

Nos Christoforus etc. Memoriae commendamus etc. Quod nos cum ad nonnullorum dominorum consiliariorum nostrorum humillimam intercessionem nobis propterea factam, tum vero compatientes viduitati et orbitati honestae mulieris *Elizabethae,* relictae quondam honorabilis *Petri Melii,* alias pastoris ecclesiae Debreceniensis, horum igitur intuitu duas vineas suas, quarum una in promontorio Csatariensi *Elsőhegy* nuncupato, cui a septemtrione vinea Casp. Bereczky, a meridie vero Franc. Vas de Bihar, ab occasu vero et oriente vineae Petri Dienes vicinarentur; secunda vero similiter in eodem promontorio Csatáriensi *Oldalszőlő* nuncupato, hinc ab occasu vineae Gregorii Litterati et Georgii Bencze, a septemtrione vero via publica et a meridie similiter via *Biharút* nuncupata contigue vicinarentur, omnino in comitatu Bihoriensi existentes, pastinatas, quarumlibet nonarum et decimarum pensione etc. vita sua durante gratiose duximus supportandam« etc.

(Gyulafehérvári Lib. Reg. I. Sigismundi Báthory. Ad. a. 1583. 89 a—b. ll.)

Közli: Dr. Lukinich Imre.